

III. Si praeceptum abstinentiae laeditur manducando carnem proprie dictam, probabile est non committi **peccatum grave** nisi manducantur duae unciae. (Stoz, Tribun. Poenit. l. 1. p. 3. n. 528; Lehm. I. n. 1207; Ball. P. n. 108) Plerique opinantur quantitatem multo minorem ad peccatum mortale sufficere. Ita S. Alph. (n. 1029), nulla tamen ratione allegata, rejicit sententiam quae mediam unciam carnis habet ut materiam levem, asserit vero gravem fore ex quo superat octavam unciae partem. Sed tantus rigor non videtur requiri natura hujus praecepti, cujus observatio non infringitur notabiliter tam exiguae quantitatis comestione.

Major quantitas ad peccatum grave requiritur, si manducantur ea quae a carne proveniunt vel lacticinia: haec enim minus principaliter prohibentur. Probabiliter duplicari potest quantitas quae in comestione carnis proprie dictae censetur gravis: igitur, in sententia nostra, quatuor unciae requiruntur. Sic graviter peccaret qui duo ova gallinacea manducaret, quando haec prohibentur: duo enim ova quattuor fere unciis aequivalent. Qui vero ordinariam portionem leguminum sagimine conditorum vel offae carnis confectae manducaret, a gravi peccato immunis esset. (Gousset, Th. Mor. I, n. 301)

444. IV. **Multiplicantur peccata** contra legem abstinentiae quotienscumque, vicibus moraliter distinctis, cibi prohibiti manducantur. Videlicet hic nequaquam obtinet ratio pro lege jejunii allegata (n. 441): nam objectum praecepti manet semper possibile.

V. Toto tempore Quadragesimali, etiam diebus Dominicis, ceterisque diebus jejunii per annum, quicumque, *vi dispensationis*, carnis vescuntur, prohibentur in eadem comestione **pisces cum carnibus manducare**. Hanc prohibitionem edidit pluribusque documentis declaravit Bened. XIV, praesertim Litt. Ap. "*In suprema*", d. d. 22 Aug. 1741. (Coll. P. F. n. 2051) Hanc legem suam ex genere suo sub gravi obligare declaravit idem Pontifex litt. 8 Jul. 1744 ad Archiep. Compostell. (Coll. P. F. n. 2053)

Nomine piscium veniunt hic ea omnia animalia quae diebus abstinentiae licite comeduntur, etiam testacea marina, ut ostreae et cancri. (S. Poenit. 16 Jan. 1834) Non tamen censemus hanc legem infringere eos qui cum carnibus miscent aves illas aquaticas quas diebus abstinentiae forsitan tamquam cibos esuriales manducant. Haec enim mere probabilis et consuetudine potius quam rei natura nitens facultas neminem adstringit ut hujusmodi aves jugiter piscibus accenseat. Carnium autem nomine generatim ea veniunt quae supra (n. 442) declarata sunt, non tamen videntur hic comprehendi quae tantum e carne originem ducunt.

Etenim 8 Febr. 1828 S. Poenit. respondit dispensatos a lege abstinentiae a carnibus posse, diebus quibus urget jejunii obligatio, valetudinis causa, vesci jure tantum carnibus condito, et de cetero cibos esuriales edere, sicut ceteri qui pisces edere queunt.

Cum haec prohibitio fiat *per modum condicionis* adjectae dispensationi quae datur ad carnes comedendas, non complectitur eos qui per se, puta ratione gravis morbi, sine dispensatione, a lege abstinentiae immunes sunt. (Ball. P. n. 26) Ex declaratione autem S. Poenit. d. d. 15 Febr. 1834 (Coll. P. F. n. 2068), non attingit eos qui, vi dispensationis, carnes edunt diebus Veneris et Sabbati in quibus non est jejunandum. Suam sententiam tuta conscientia in praxim deduci posse declaravit S. C. Inquisitionis die 9 Januar. 1899. At prohibitioni ne misceantur pisces carnibus subjacent diebus jejunii ii qui, ratione aetatis, laboris aliisque causae rationabilis, a lege unice comestionis immunes sunt: nam et hi, ratione dispensationis, carnem manducant, et in hunc sensum respondit S. Inqu. 23 Jun. 1875. (Coll. P. F. n. 2076)

### § 3. DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

445. I. **Impotentia morali**, seu magno incommodo extrinsecus adveniente, excusantur:

1° Qui nondum complevere annum 21<sup>um</sup>, etiamsi robustissimi sint: nam consuetudo eos, per modum regulae generalis, eximit. Probabile autem est eos qui, decurrente aliqua die jejunii, hanc aetatem complent, non teneri ad jejunandum ista die: nam praeceptum respicit totam diem, et, in parte antecedente horam qua 21 annos complent, licet iis manducare quoties volunt. Contrarium S. Alph. (n. 1035) probabilius opinatur.

2° Qui jam inchoavere annum 60<sup>um</sup>, etiamsi viribus robusti permanserint: nam hi solent egere cibo frequentiori. (S. Alph. n. 1036) Quidam etiam, duce Sanchez (Cons. Mor. l. 5. c. 1. dub. 4. n. 6), idem tenent de mulieribus 50<sup>um</sup> annum inchoantibus. Hanc opinionem S. Alph. (n. 1037) neque improbare, neque probabilem dicere audeat; eidem favent Ball. P. (n. 84), Sabetti (n. 337), Buccer. (t. I. de 5° et 6° Praec. Eccl. n. 49). Quare saltem extrinseca probabilitas huic sententiae tribuenda est. Reapse tamen parum solidum est fundamentum cui praecipue inniuntur ejusdem fautores: mulieres citius quam viros senescere, ita ut quinquagenariae jam generare nequeant. Nam, quando circa hanc aetatem menstruus fluxus desinit, saepe mulieres quasi novas vires assumere videntur. Cfr. Eschbach, Disp. physiol. theol. p. 51 seqq.

3° Debiles, infirmi, convalescentes. His accensendi sunt ii qui ex

vacuitate stomachi *notabilem* capitis dolorem vel vertiginem patiuntur, vel per magnam noctis partem dormire nequeunt (S. Alph. n. 1034); item qui non possunt una vice alimentum sufficiens sumere. Immo satis est ut quis sibi persuadeat, ex experientia vel ex probabili ratione, jejunium graviter nociturum esse. (S. Alph. n. 1033) Evidenter multo facilius tale detrimentum timeri poterit ubi de jejunio quadragesimali quam ubi de jejniis per annum occurrentibus agitur.

4<sup>o</sup> Mulieres lactantes et praegnantes, etiamsi ob vires robustas jejunio ferendo pares videantur : numquam enim certae esse possunt periculum ex jejunio afuturum esse tum sibi, tum foetui vel proli lactandae. (Ball. P. n. 74) Idem medici (Capellm. p. 93) extendendum putant ad tempus menstruationis.

5<sup>o</sup> Pauperes qui non habent plenam et sufficientem refectionem, puta si nihil haberent nisi panem et legumina : nam hi nequeunt se talibus cibis sustentare, nisi eos pluries singulis diebus sumant. (S. Alph. l. c.)

**446. II. Ratione laboris** excusantur qui exercent artem valde molestam, etiamsi forte adeo robusti essent ut absque gravi incommodo jejunare possent : nam consuetudo excusat omnes qui tali arti vacant. S. Alph. (n. 1043) censet probabilius speculative non excusari tam robustos, sed in praxi vix unum reperiri qui ex hujusmodi labore non graviter relaxetur : quod practice in idem recidit. Ratio generalis est : non esse Ecclesiae mentem quod homines a suis consuetis occupationibus cessent propter jejunium, cum ita impedirentur res magis necessariae et communi bono utiliores. Quare neque artifices divites, qui solent exercere artes laboriosas, peccant si, die jejunii, laborem assumunt. (S. Alph. n. 1042) Neque tenentur jejunare qui uno alterove die a labore solito quiescunt ad vires reficiendas.

Hinc excusantur fossores, agricolae, lapidicidae, figuli, aurigae, fabri lignarii, ferrarii et murarii, coqui plures dapes et multis personis praeparantes, typographi prelum versantes, non vero typos componentes, famuli qui vehementer toto die majoribus laboribus incumbunt, non vero ancillae levia servitia domus exhibentes, etc. (S. Alph. n. 1041)

Insuper qui occupationem habent minus laboriosam ideoque per se non excusantem, saepe excusantur eo quod ob personae debilitatem vel aliam peculiarem circumstantiam, nequeunt, sine magno incommodo, jejunare simulque artem exercere. Tales sunt barbitonsores, sartores, pictores, scribae, etc. (S. Alph. l. c.) Notandum hodie, propter debilitatem multorum, saltem oppidanorum, valetudinem acrioremque laborem, latius applicari posse rationes excusantes quas veteres DD. admittebant.

Similiter quoad eos qui *ex officio* iter instituere debent, sive pedibus, sive equo, sive via ferrea, nequit regula generalis statui ; sed concrete

inspicienda sunt adjuncta personae et itineris, ut pateat num inde oriatur incommodum par illi propter quod communis sententia DD. a jejunio excusat.

Probabile est non peccare eum qui assumit laborem inusitatum et cum jejunii observantia impossibilem, dummodo aliquam veram seriamque utilitatem prosequatur, ex. gr. ad faciendum lucrum extraordinarium, ne, labore in alium diem translato, tempus amittatur, etc. Peccaret vero si nullam aliam rationem haberet quam delectationem ex. gr. itinerandi vel venandi : nam vult aliquid quocum novit observationem legis fore impossibilem ideoque reapse non vult legem servare ; neque omissio alicujus delectationis censetur sufficiens incommodum ut quis a lege jejunii excusetur. Attamen probabiliter opinantur Sanchez (Cons. Mor. l. 5. c. 1. dub. 7. n. 18), Ball. P. (n. 93), Berardi (Prax. Conf. n. 3025) id interdum licere etiam ob solam delectationem, dummodo raro fiat. " Ipsa enim aequitas naturalis dictare videtur quod non fuit intentio legislatoris prohibere haec exercitia honesta et licita propter jejunium, et eadem dictat non fuisse intentionem excusare, si frequenter fiant. " (Sanch. l. c.)

**447. III. Ratione majoris boni** excusantur qui opera caritatis corporalis vel spiritualis exercent quae cum jejunio componi nequeant, vel absolute, vel saltem sine gravi incommodo. Nec refert utrum haec obeantur ex officio an sponte, utrum pacta mercede an gratis. Ratio est quod jejunium majora bona impedire non debet (2. 2. q. 147. a. 4. ad 3) : haec autem caritatis opera jejunio praestant. Ideo :

1<sup>o</sup> Excusantur concionatores qui cotidie in Quadragesima contionem habent. Quodsi ter vel quater tantum in hebdomada contionantur, excusantur vel obligantur, prout adest vel abest notabile incommodum in jejunio servando : quod dijudicandum erit e natura contionis vel praeparationis, e valetudine contionaturi, etc. (S. Alph. n. 1049; Ball. P. n. 100)

2<sup>o</sup> Excusantur lectores scientiarum qui magno studio et labore indigent, non vero qui dictant lectiones jam prius ordinatas et saepius repetitas (S. Alph. l. c.) ; magistri scholarum inferiorum qui cotidie per plures horas cum magna defatigatione docent. (Lehm. I. n. 1218; Ball. P. n. 101)

3<sup>o</sup> Qui studiis arduis et cotidie per multas horas protractis vacant, ut studentes in Universitate, advocati, judices similibusque artibus liberalibus addicti, licet per se non excusentur, facile rationem excusantem habebunt eo quod, ob valetudinem minus firmam, impossibilitatem refectionis hora solita sumendae, etc. labores illos sine magno incommodo vel aegritudinis periculo ferre nequeant.

4<sup>o</sup> Confessarii non excusantur, nisi poenitentibus satisfacere simulque

jejunare nequeant sine gravi incommodo : quod continget tantum si confessiones audiant fere per totam diem, puta per septem vel octo horas. (S. Alph. l. c.)

**448. IV.** Ubi dubitatur num causa per se sufficiens sit ad excusandum a jejunio, vel ubi per se solam minime sufficit, recurri potest ad eum qui habet facultatem dispensandi et qui tunc supplere poterit quidquid illi causae desit. (n. 121) Jamvero in lege jejunii dispensare possunt :

1° Romanus Pontifex *pro universa Ecclesia*. Ejus dispensatio semper est valida et, si justa subest causa, etiam licita.

2° Episcopi, ob justam causam, *cum subditis singulis*. Insuper, ex perpetua concessione ipsis facta a Leone XIII per decretum S. Inqu. 5 Dec. 1894 (Act. S. S. t. 27. p. 512), habent " facultatem anticipandi die sibi benevisa atque, ob gravissimas causas, etiam dispensandi super lege jejunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel sollemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quattuor temporum et vigiliis per annum jejunio consecratis ; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur. „ Ex declarationibus autem ab eadem S. Inqu. 18 Mart. 1896 datis (Act. S. S. t. 28. p. 572) constat hanc facultatem extendi etiam ad sollemnitates in quibus utrumque praeceptum non sit servandum, ex. gr. in centenariis, peregrinationibus, etc. — sufficere magnum concursum civitatis aut loci ; — periculum *generale* quod abstinentia anticipanda non observetur sufficere ad dispensandum ; — tandem posse episcopum ex rationabili causa committere parochis ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia.

3° Superior Regularis cum subditis suis singillatim sumptis, non autem cum integra communitate.

4° Parochus cum singulis parochianis.

Verum, ubi causa excusationis solide probabilis est, non est necessario ad Superiorem recurrendum ; laudandi certe qui etiam tunc recurrunt.

#### § 4. DE CAUSIS AB ABSTINENTIA EXCUSANTIBUS.

**449. I.** Ratione *aetatis* ab hac lege nullus christianus excusatur, nisi qui legibus ecclesiasticis in genere subditus non sit, utpote septennio minor vel perpetuo amens. Reliqui vero ab eadem excusantur, ubi eam

*sine morali impotentia* seu *magno incommodo* observare nequeunt. Speciatim afferuntur sequentia exempla, a quibus norma ad similes casus solvendo desumi potest :

1° Infirmi qui, ob manifestam necessitatem vel medici consilium, carnibus indigent. His accedunt mulieres praegnantem vel lactantes, ita saltem ut, propter vividam carnis appetentiam, facilius cum ipsis dispensetur. (Lehmk. l. n. 1028) Idem censemus de iis qui, propter stomachi debilitatem, cibos esuriales absque gravi incommodo sumere nequeant. (Berardi, Prax. Conf. n. 2963)

2° Pauperes mendicantes, si quando carnem in eleemosynam recipiunt. (Gury, l. n. 487) Quod merito extendi potest ad eos qui in tanta miseria vivunt ut, nisi pudore prohiberentur, mendicaturi essent. Neque necesse est ut alio cibo hac die careant. Nam praesumi potest Ecclesiam, tam benignam in pauperes, non esse invitam quominus isti hoc insolito commodo sibi obtingente fruantur. (Ber. Prax. Conf. n. 2965)

3° Pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam vel lactucas condiendas. (Gury, l. c.)

4° Operarii quibusdam laboribus adeo arduis addicti ut aliis cibis satis ali nequeant vel eorum etiam nauseam experiantur. Tales sunt qui labores molestiores exercent in fodinis metallicis vel carbonariis aut in officinis vitreis vel ferreis. (Gury, l. c.)

5° Iter agentes qui cibos licitos ad congruam refectionem reperire nequeant. Sin autem illos, absque magna difficultate, habere possunt (ut plerumque, in regionibus saltem catholicis, contingit), a lege abstinentiae ratione solius itineris non excusantur.

6° Personae omnes, ut uxor, filii, famuli, quae sunt in potestate patrisfamilias, quando iste vult ut, diebus abstinentiae, solae carnes apponantur : nam versantur in morali impotentia servandi praeceptum. Ex responsis S. Poenit. liquet indultum vescendi carnibus, concessum vel patrifamilias vel alii familiae membro, non esse per se rationem sufficientem ut familiae universae carnes apponantur. Nam 29 Dec. 1862 interrogata S. Poenit. : " An ratio propter quam filiifamilias uti possunt cibis vetitis, a patrefamilias exhibitis, sit eorum impotentia physica sive moralis observandi praeceptum, seu potius indultum quo gaudet paterfamilias, „ respondit : " Ratio permissionis de qua in quaesito proposito sermo, non est indultum patrisfamilias, sed impotentia in qua versatur filiifamilias observandi praeceptum. „ (Coll. P. F. n. 2067) Famuli et ancillae, in hoc casu, *speculative* quidem tenentur alium famulatum inire, si absque magno incommodo id possint. Sed saepe haec obligatio, praesertim pro ancillis, urgenda non est, si reliqua religionis officia rite obire sinuntur et periculum castitatis abest : nam valde timendum est ne alibi deteriora inveniant. (Ber. Prax. Conf. n. 2967)